

John Carter Brown.
Harold Brown.

BOUND BY F. BEDFORD

1262
/
~~1260~~

(12)

Deſcriptio ac delineatio Geographica

DETECTIONIS FRETI,

ſive, TRANSITUS ad Occaſum, ſuprà terras Americanas, in Chinam atq; Iaponem ducturi,

Recens inveſtigati ab M. Henrico Hudſono Anglo.

Item,

Narratio SER.MO REGI HISPANIÆ facta, ſuper tractu, in quinta Orbis terrarum parte, cui AUSTRIALIÆ INCOGNITÆ nomen eſt, recens detecto,


Per Capitaneum Petrum Ferdinandez de Quir.

Unà cum deſcriptione

Terræ SAMOIEDARUM & TINGOESIORUM, in Tartaria ad Ortum Freti VVaygats ſitæ, nuperq; Imperio Moſcovitarum ſubactæ.

AMSTERODAMI

Ex officina Heſſelij Gerardi. Anno 1612.



Huc quicunq́; novas ardes cognoſcere terras,
Huc ades, atq́; iſto fonte levato ſitim.
Hic liber extremos Boreæ Cauriq́; receſſus,
Et freta iam nautis pervia noſſe dabit.
Pervia; quid renuis? poſſunt, qui poſſe videntur.
Et maiora dedit ſæpè videre Deus.
Si tamen addubitas, tum tu te confer ad Auſtrum,
Et lege queis certam fas adhibere fidem.

Exemplar

Libelli ſupplicis, Potentiſsimo Hiſpaniarum Regi exhibiti, à Capitaneo Petro Fernandez de Quir:

Super

Detectione quintæ Orbis terrarum partis, cui AVTRALIÆ INCOGNITÆ nomen eſt.

Item,

Relatio ſuper Freto per M. Hudſonum Anglum quæſito, ac in parte detecte ſuprà Provincias Terræ Novæ, novæque Hiſpaniæ, Chinam & Cathaiam verſus ducturo:

VNA

Cum Freti ipſius, quatenus iam detectum eſt, TABVLA NAVTICA.

Nec non

Iſaaci Maſſæ Harlemenſis

Samoiediæ atque Tingoëſſæ, regionum ad Orientem ultra Fretum Weygats in Tartaria ſitarum, nuperque Imperio Moſcovitico adquiſitarum deſcriptio,

ET


Tractus eiuſdem Tabula Ruſſica.

Latinè verſa ab R. Vitellio.

AMSTERODAMI

Ex officina Heſſelij Gerardi. Anno 1612.

2



Huc qui umq́ novas ardes cognoſcere terras,
Huc ades, atq́ iſto fonte levato ſitim.
Hic liber extremos Boreæ Cauriq́ receſſus,
Et freta iam nautis pervia noſſe dabit.
Pervia; quid renuis? poſſunt qui poſſe videntur.
Et maiora dedit ſæpè videre Deus.
Si tamen addubitas, tum tu te confer ad Auſtrum,
Et lege queis certam fas adhibere fidem.



nium opum ſuarum ſcaphæ commiſſarum in undis fluvij Petzoræ triſte fecit naufragium. Quæ tum Anglorum, tum hujus

In tractatus ſequentes Prolego-mena ad Lectorem.

LVcri & utilitatis ſpes animos hominum numquam non excitavit ad peregrinas regiones nationesq́ luſtrandas. Ita pretioſæ illæ, nobis à Mercatoribus Ruſſis allatæ pelles, Mercatores noſtrates inflammarunt acri quadam cupidine incognitas nobis ipſorum terras, ſi fieri poſſet, peragrandi. Profuit ipſis quadamtenus hac in parte iter quoddam à Ruſſis conſcriptum, Moſcovia Colmogroviam, atque inde Petzoram (ubi incolæ Anno Chriſti 1518. Chriſtianam fidem amplexi ſunt) hinc porro ad fluvium Obi, pauloque ulterius ducens. Quod quidem plurima falſa veris admiſcet, puta de Slatibaba anu illa (ut fertur) aurea, eiuſque filijs, nec non monſtruoſis illis trans ipſum Obi hominibus. Tranſtulit verò deſcriptionem hanc Ruſſicam, eamque ſuis de regionibus Moſcovitarum libris inſeruit Sigiſmundus ab Herberſtein, Imperatoris Maximiliani Orator. Ediditque poſteà tabulam Ruſſiæ Antonius quidam VViedus, adjutus ab Ioanne à Latſki, Principe quondam Ruſſo, & ob tumultus poſt obitum Magni Ducis Ioannis Baſilij in Ruſſia excitatos, in Poloniam profugo. Quæ tabula I. cuidã Copero, Senatori Gedanenſi, dicata, Ruſſiciſque & Latinis deſcriptionibus aucta, in lucem prodijt apud VVildam Anno Chriſti 1555. Aliam quoque Ruſſiæ tabulam ediderunt poſt modum Angli, qui in tractu illo negotiati fuerant. Atque hæ quidem tabulæ, & qualeſcumque deſcriptiones, quæque prætereà de regionibus hiſce comperta ſunt, elicuerunt Oliverium quendam Bunellum, domo Bruxella, uti conſcenſo navigio Enchuſano, animum induxerit eò ſeſe conferre. Vbi aliquandiu vagatus, & pellium pretioſarum, vitri Ruſſici, cryſtallique montani, ut vocant, adfatim nactus, omnium opum ſuarum ſcaphæ commiſſarum in undis fluvij Petzoræ triſte fecit naufragium. Quæ tum Anglorum, tum hujus

A 2 Bunelli,

Bunelli,qui & Coſtinſarcam Novæ Zemlæ luſtraverat, navigationes, cum & Batavis noſtris, opum Chinenſium Cathaicarumque odore allectis, animum accendiſſent, Nobiles ac Præpotentes Provinciarum Fœderatarum Ordines, duas naves, ductore Ioanne Hugonis à Linſchot, verſus Fretum quod vulgò VVeygats, totidemque ductore Guilielmo Bernardi, ſuaſu D. Petri Plancij, recto ſupra Novam Zemblam curſu Septemtrionem verſus ituras, deſtinarunt. Et Guilielmus quidem, cum perveniſſet ad altitudinem graduum 77. ac apud Inſulas Orangæas terram inter & glaciem eſſet obſeſſus, Calendis Auguſti domum reverſus eſt: Linſchotanus verò & Fretum ipſum emẽſus eſt, & 50. ipſa milliaria ultra illud progreſſus, tandem & ipſe, flantibus ferè perpetuis aquilonibus, temporiſque opportunitate jam lapſa, coactus ad ſuos reverti. Anno proximè inſecuto, qui fuit Chriſti 1595, iterum uterque eò curſum inſtituit, animo ſigna ſua ulterius proferendi, vel & navigationem hanc feliciter abſolvendi. Sed enim frigoris vehementia & immenſis glaciei montibus impediti, ſpe ſua fruſtrati ſunt, neque vel ipſum Fretum potuere tranſmittere, ſed ad Inſulam Ordinum cum veniſſent domuitionem parare coacti ſunt, metuentes videlicet, ne totum Fretum glacie tandem obſtrueretur. Guilielmus Anno 1596. tertium repetito curſu non paulo quam primo itinere longius progreſſus, navim, coagmentatis è glacie montibus ſuperimpoſitam, eò quò pervenerat loci deſtituit, in perpetuam extremæ ad Septemtrionem navigationis memoriam. Cuius viri prodigioſam Hiſtoriam, dolendum interitum, turbæque nauticæ in Hollandiam reditum, qui volet, ex ipſorum Ephemeridibus publicè extantibus diſcat.

Nos, ut qualemcumque illam, quam Mercatores noſtri ex itineribus jam dictis conſecuti ſunt regionum iſtarum notitiam, quo ad fieri poteſt, promoveamus, ex hibemus hic narrationem quamdam ſuper novo Ruſſorum in Tartariæ partibus dominatu, quæ præter deſcriptionem *Siberiæ*, ſitum quoque

que

que exponit regionum longè trans *Obij* ad Ortum vergentium.

Adjunximus huic *Siberiæ Septemtrionaliorisq́ Tartariæ* deſcriptioni tabulam quamdam omnium illis adjacentium regionum ex idiomate Ruſſico verſam, & multis in partibus cum accuratis Linſchotani locorum aliquot delineationibus concordantem. In qua Ruſſi delinearunt nobis univerſum illum *Freto Weygats* ab Ortu adludentem Oceanum, & ſimul viam inde Meridionalem *Cathaiam* ducentem. Sicut autem illa ipſa via videbitur æquo Septentrionalior, pro ut ſanè ex ipſo tabulæ adſpectu apparet: veri ſimile tamen eſt, uſque ad ipſum *Obi*, vel alium aliquem majorem fluvium maritimo itinere perveniri poſſe: cum Ruſſi oras iſtas navigijs ſuis obnavigēt, indeque vel ſcaphis, vel & terreſtri itinere, tendant in mediterranea, ubi notabilia multa detegi poſſe, veri ſimillimum eſt. Quoniam verò *Fretum Weygats* per ipſam quoque anni æſtatem tantum ad breve tempus apertum eſt, ut conſtat ex Linſchotani & Gulielmi navigationibus, difficilis admodum foret hæc indagatio. Videtur enim natura cupiditati noſtræ coercendæ glaciem ibi & frigus, ceu repagula quædam oppoſuiſſe. Nec obſtantibus tamen hiſce tot peritiſſimorum nauclerorum, *Gulielmi Bernardi*, *Iacobi Heemſkerckij*, *Ioanniſque Linſchotani* exemplis, & parum proſpero itineris à *Kerchovio* quodam, nomine *Iſaaci Lemerij*, in eas oras facti eventu, auſi ſunt imperiti quidam homines apud *Illuſtriſsimos ordines* ac rerum maritimarum *Conſiliarios* inſtare, pro obtinendo itineris ad Aquilonem ſupra *Novam Zemlam* de integro repetendi commeatu atque diplomate, temerè aſſerentes, remiſſius eſſe frigus ad 80. & 85. quàm ad 72. altitudinis gradus, ac prope convenientes cum *Heliſæo Roſlino* doctore Hanovienſi, qui ad calcem libelli, *Fœderatis ordinibus* apud Belgas inſcripti, palam adfirmat, æſtivo tempore, quò propius polum acceſſeris, eò eſſe calidius, neque poſſe navigijs ullum a frigore glacieve obſtaclum adferri. Quin exiſtimabant inſuper noſtri

 homines,

homines,ut quidem præ ſe ferebant,ſolem in extremo Septemtrione ſalem potius generaturum eſſe,quam glaciem: obliti videlicet.ipſum Solem,qui inibi demum operationes ſuas efficaciſſime perficit,ubi radios ſuos ex alto directe in terram exerit, in Aquilonaribus illis locis, tota hieme, ipſiſque adeo 23. hebdomadis numquam ſplendere: quin & bonam æſtatis partem uſqueadeò deprimi,ut non niſi obliquis radijs terram ipſam illuſtret,neque brevi illo tempore,quo ad gradus 28.in ipſo tantum meridie ſupra terræ crepidines elevatur, fieri poſſe, ut illos è glacie montes diſſolvat. Hac itaque opinione imbuti, anno ſuperiore 1611. anchoram illi ſolverunt, idque initio ſtatim veris,ne videlicet impedirentur à glacie per æſtatem ſolvendâ, magnorumque fluminum oſtij s evòmendâ:quæ nulla quidem ipſis occurrit,ſed enim mare,in quo ſalem ſe inventuros ſperaverant, præter opinionem, ſuâ ipſius glacie tam denſé invenerunt adſtrictum, ut nihil plane memoria dignum efficere potuerint. Quare glacie præpediti,littora *Novæ Zemlæ*, ubi & *Coſtinſarcam* luſtrarunt, legere, indeque accepto non levi detrimento,*Kildunam, Lappiæ* Inſulam petere, reſarciendæ ruinæ coacti ſunt. Vnde rurſus digreſſi, hibernatum profecti ſunt ad littora *Novæ Franciæ,* ſub 44. graduum altitudine. Vbi quidam eorum Præfectus,alioqui ferè in triclinio nautico deliteſcere ſolitus,cum deſcendiſſet in terram, barbarorum ſagittis, unà cum alijs quinque confectus eſt, longè quidem extra ſuam opinionem,qua perſuaſus erat ſe per extremum Septemtrionem longinquo ſupra *Novam Zemlam* curſu,ad pridem quæſitas *Cathaiam Chinamque*,levi negotio perventurum. Et ex hoc comitatu altera navium cum Præfecto ſuo reverſa eſt, altera verò *Ioannes Cornelij* cognomento *Antropophagus*,valde a peritia rei nauticæ commendatus,rurſus ad Aquilonem profectus eſt, qui opportuno tempore plura quam hactenus nobis comperta ſint, detecturus ſperatur,cujuſque navigationis eventum nos brevi narraturos tibi confidimus. Quoniã vero etiam poſt navigationes

prædictas

prædictas *Guilielmi Bernardi*, viam illam aquilonarem aliquoties Angli adhuc tentaverant, viſum fuit ante triennium D. D. *Indicæ navigationis Præfectis* eò mittere quendam *M. Hudſonum Anglum*, qui cum nullam ad Ortum viam, ſed ejus vicem Oceanum inveniſſet glacie prorſus obſtructum, ad Occaſum deflexit, unde ſine ullo profectu in *Angliam* appulit. Emiſſus autem de novo ab *Anglis*, curſu quidem longè proſperiore, at deteriore tamen ſucceſſu uſus eſt: cum enim poſt varios labores ultra *Terram de Baccalaos* 300. circiter milliaria Occaſum verſus emenſus eſſet, inibique ad altitudinē graduum 52. jam hibernaſſet, & ulterius tendere certus eſſet, ecce non tantum ipſe, ſed & omnis eius Senatus (ut ſic dixerim) nauticus ſcaphæ ab importunis nautis impoſitus, & in undas demiſſus, ipſi ſine mora domum reverſi ſunt. Nos verò notas ejus ad calcem hujus libelli adjunximus, certiora per naves eò jam miſſas, imò optatum de Freto prorſus pervio nuntium expectātes, Quæ naves hoc ipſo æternam ſibi famā ac gloriam paraturæ ſunt: tot potentibus viris, ſagaciſſimiſque Naucleris tot jam annos compendioſam ad *Cathaiæ, Chinæ, Moluccarum, Peruanorumque* populorum divitias adfectantibus viam: inter quos, præter noſtrates (qui in Aquilone & Oriente ſua ediderunt ſpecimina) fuere *Martinus Forbiſherus* & *Ioannes Daviſius*, qui annis Chriſti 1585. 86. 87. inter *Terram novam* atque *Groenlandiam* Septemtrionem verſus currentes pervenerunt ad gradus 72. ſed glacie præpediti, re plane infecta, ad ſuos reverſi ſunt. Tentaverat ſub grad. 40. ſupra Virginiam pertranſire.

Confirmatur hæc nuper inventi ab *Hudſono* ſupra *Terram Novam* tranſitus ſive Freti ſpes, *Virginianorum Floridanorumque* concordibus teſtimonijs, diſertè adfirmantium, terras ſuas ab Occaſu æſtivo allui vaſto Oceano, in quo & naves Anglicanarum ſimiles viderint. Legere quoque eſt apud *Ioſephum Acoſtam* cap. 12. lib. 3. natural. Indiæ Occident. Hiſtor. *Hiſpanos* ſibi habere perſuaſum, *Thomam Candium* Anglum certam habuiſſe Freti iſtius notitiam. Et feruntur

Hiſpani

Hiſpani viam hanc ſedulò occultare, qua eorum nonnulli poſt expugnatas à ſe *Philippinas* in *Hiſpaniam* ſunt reverſi: Atque hinc adeò eſt, quod *Philippus II.* ut ex fide nobis relatum eſt, extruendam curavit validam illam arcem ad mare, quod vulgo appellant *Vermeio*, ſupra *Novam Granatam*, quò videlicet impediret, ne aut noſtrates, aut alij ſui hoſtes, opes illas immenſas, quas ad *mare del Zur* pacificè poſſidet, per hanc viam aliquando venirent direptum. Quod ſi ergo hæc via reſponderit ſuis principijs, compendium ſanè hominibus noſtris futura eſt, non ad *Chinas* duntaxat, *Moluccas*, atque *Peruviam*, ſed ad eas etiam gentes, quæ Auſtralem *Maris del Zur* tractum incolunt, perluſtrandas, explorandumque quoſnam inibi portus & merces invenire ſit. Neque defuturum eſt uſquam ijs, qui ad iter hoc ſe accinxerint, unde refocillentur, nauſeamque marinam excutiant, ſive ad Inſulas illas accedant, quas luſtravit *Antiſtes Quitenſis* (de quibus conſtat nobis ex relatione nautæ cujuſdam noſtratis, *Epiſcopi* in itinere comitis, qui & *Ampliſſimo Barneveldio*, & *Indicæ navigationis Præfectis* multa huc pertinẽtia denarravit) ſive ad Continentem. De quo tractu exhibemus tibi diſcurſum ſeu relationem Ducis cujuſdam Hiſpani, ſperantes id non futurum ingratum ijs qui ad commercia in ultimis illis Mundi partibus exercenda adſpirant, quive tenentur globi terreſtris & Incolarum ejus magis magiſque cognoſcendorum adfectu. Cujus quidem cognitionis ſtudium ut in animo tuo accreſcat, donec ſolidè perficiatur, utque & opes tibi & immortalem gloriam adferat, omnibus votis exopto.

Heſſelius Gerardus Aſſumenſis
Philogeographus.


TABVLA NAVTICA,
qua repræſentantur oræ maritimæ, meatus, ac freta, noviter a Hudſono Anglo ad Caurum ſupra Novam Franciam indagata Anno 1612.
Longa nimis longo via dividit æquore Seras,
Nec patiens tantæ eſt mens generosa moræ:
Dixit, et occiduos petit imperterritus Indos
Hudsonus, ut methodo rem breviore paret.
Iamq; fretum ſuperare novum, jam cœperat auſis
Præmia ſpondere ac pænè videre ſuis:
Cum remoram tantis injecit nautica rebus
Turba, nec inſonti parcere gnara viro.
Sed remoram. pergit noster, vel vincere certus
Vel (quod o avertant numina ſancta) mori.
Audi vota Deus, faſtiſq; hunc adde Britannis
Servato nuper Principe clare, diem.
MARE MAGNVM ab Mr. Hudſono primum inventum.
FRETVM I. DAVIS
GROENLANDIA
YSLANDT
HONI SOIT QVI MAL Y PENSE
DIEV EST MON DROIT
Bredrans R.
Conigam R.
C. S. Soffin
Romborts R.
Denemarchshaven
Annes C.
Salisburis Ilandt
Digs Ilandt
Quine Annes Forlandt
Gods merces
C. Elizabeth
The Iland of good fortun
Lomles Inlet
C. Worsnam
C. Charles
The Kinges forlant
Prince Henry
Holde with hoope
The Catts chance
Desolation
Hols cape
C. Farewel
Whites cape
C. Record
C. Goodhope
Quine Elizabets forlandt
Friesland
Bus
Hebrides insulæ
SCOTIÆ PARS
HIBERNIA
ANGLIÆ PARS
C. Grat
I. S. Lucia
Ilha de Bacalhao
The grand bay
The bay of Gods mercie
The bay where Hudson did winter

Relatio
Super deteɛtione novi ad Caurum tranſitus, ſuprà terras Americanas, in Chinam atq; Iaponem ducturi.

Ab H. Hudſono Anglo recens inventi.

FElicißimæ *Anglicæ* gentis ex peditiones maritimæ, & proſperrimi quibus in ijs uſi ſucceſſus, eos ad rariores quoque profectiones tentandas magis magiſque extimularũt. nam præter crebra ſuorum ad Ortum & *Novam Zemlam Groelandiamq;* itinera, perpetuò ferè laborarunt in inveſtigando ad Occidentem, *Chinam* atque *Iaponem* verſus, trãſitu, ſive Freto, idque relicto ad lævam ſeptemtrionali *Americæ* littore, occupata jam illic & colonijs ſuis inſeſſa *Virginia*. Viam verò, quam eorum plærique in Freto hoc indagando ingreſſi ſunt, ſecutus eſt anno 1602. Capitaneus quoque *Georgius Winwood*, qui quinquingentas ferè Anglicas leucas in *Freto Davis* ſurſum deorſum vagatus, & præ glacie tandem coactus retrogedi, tentavit num per ſinum illum, quem *Angli Lumles Inlet* appellant, ſub gradibus uno & ſexaginta poſitum, invenire fortè poſſet optatam viam. ſed centum in eo leucas *Hypafricum* verſus progreſſus, pedem & hinc quoque retulit, tum quod diuturna itineris moleſtia nauticum vulgus eſſet attritum, tum quod ſtatuiſſet luſtrare & alios duos ſinus inter *Lumles Inlet* & *Baccalaos*, unde exeuntem vidiſſet ingentem fluxum. pro ut cõſtat ex ejus Ephemeridibus. quas *M. Petrus Plancius*, curioſiſſimus talium novitatum inveſtigator, tradidit *M. Henrico Hudſono Anglo*, *Amſterodami* per id tempus, anno videlicet 1609. agenti, & *Indicæ navigationis Præfectis*, in quærendo ſupra *No-*

vam

vam Zemlam tranſitu, operam impenſuro. qui & ipſe cum ad Ortum nil profeciſſet, ad occaſum recta deflexit, denuò tentaturus illum a *Capitaneo WinWod* quæſitum delineatumque meatum, poſt centum plus minus leucarum anguſtias, in amplum tandem pelagus deſinentem. quod ipſum mare hic noſter *Hudſonus* ſperaverat fore pervium, licet contrarium ei, ex relatione cujuſdam, qui occidentale maris ipſius littus adnavigaverat, idem *Plancius* oſtendiſſet.

Hudſonus, cum ne hoc quidem itinere quidquam memoria dignum geſſiſſet, anno proximè inſecuto 1610. a populatibus ſuis rurſum emiſſus eſt, & ſecutus illum in *Lumles Inlet* ſibi a *Georgio WinWod* ex parte calcatum tramitem, poſt multas tandem moleſtias, fretum hoc ſuperavit, & ad gradus 50. & 51. progreſſus eſt. ubi & hibernavit. atque hic demum, cum alioqui nullos toto itinere obvios uſquam habuiſſet homines, acceſſit ad eum vir, qui beſtiam quandam & neſcio quid præterea adferret in commeatum, *criſſio Mexicano* ſeu *Iaponenſi* accinctus. unde ſe non procul a terris Mexicanis abeſſe noſter illicò ſuſpicatus eſt. vir autem ille, parum comiter tunc exceptus, numquam poſteà redijt. Quare Angli, cum præter octimeſtrem illum, quem ſecum advexerant commeatum, nihil aliunde nanciſcerentur, è ſinu, quem erant ingreſſi, occidentale legentes littus, ſeptemtrionem verſus excurrerunt ad gradus 62. & 63. ubi & mare invenerunt latè diffuſum, & grandiores ab Cauro impulſos fluctus. quæ Hudſono quidem & Senatui nautico animus erat ulterius indagandi: ſed refragantes navales ſocij, quod bimeſtri jam ſpatio, ultra quàm de annona proſpectum eſſet, domo abfuiſſent, inſurrexere tandem in ſuos Præfectos, atque *Hudſonum* unà cum ſuis ſcapha expoſuerunt in mare: ipſi verò qua venerant navi, anno 1611. Septembri menſe, domum reverſi ſunt. ubi in carcerem hac de cauſſa compacti, tantiſper aſſervãtur, dum inveniatur Præfectus. quem requirere juſſæ ſunt tres ille naves, quas emiſerunt hac ipſa æſtate Ser.mus. VValliæ Princeps

Ita pugiunculos ſuos undulatos nuncupant.

Princeps & mercatores, tranſitum plenè perluſtraturas, ac pernavigaturas. quarum uni injunctum, ut detecto ad plenū meatu recurrat, nuntium illud tam diu deſideratum felicitet allatura, quod in horas nunc expectatur.

Relatio

Memorialis, ſive libelli ſupplicis Majeſtati Suæ oblati per Capitaneum *Petrum Ferdinandez de Quir*, 10

Super

Detectione quartæ Orbis Terrarum partis, cui nomen Auſtralis incognita, *eiuſq́; immenſis* opibus & fertilitate.

DOmine:

Ego Capitaneus Petrus Ferdinandez de Quir dico hunc eſſe octavum libellum ſupplicem, quem Majeſtati Tuæ offero ſuper deductione coloniarum facienda in Terras quas Majeſtas Tua detegi juſſit in tractu Auſtraliæ incognitæ, cum interea nihil hucuſque in negotio meo ſtatutum, nec ullum mihi reſponſum aut ſpes data ſit, qua certior fiam, me tandem aliquando hinc expediendum, qui tamen menſes 14. in hac aula verſatus ſum, ipſoſque adeò 14. annos negotiũ hoc tractavi, idq; ſine ulla mercede, & ſola cauſſæ bonitate inductus, qua fretus contradictiones omnes contemſi, & vicinis mille milliaria tam maritimo quàm terreſtri itinere confeci: omnia mea bona conſumſi, & perſonæ meæ plurimum incommodavi, tanta tamque horrenda paſſus, ut mihi ipſi pænè videantur incredibilia: ne videlicet tam pium inceptum desererem. Quo adſpectu, & per viſcera caritatis divinæ Majeſtatem Tuam ſupplex oro, ne ipſi placeat tolerare, ut defrauder tam deſideratis, mihiq́ue tam juſtè debitis, tot & tam continuorum laborum atque moleſtiarum, tamque notabilis & bene fundatæ petitionis fructibus. Præſertim, cum gloriæ Dei, Tuæque Majeſtatis tanti interſit, infinitaque hinc exoritura ſint bona, duratura quandiu ſtabit hic mundus, & poſt eum in ſæcula.

B Quod

Quod ad regionum iſtarum noviter detectarum amplitudinem attinet;judicando ex ijs quæ ipſemet vidi; quæque Capitaneus Ludovicus Paez de Torres,obedientiæ meæ archithalaſſus Majeſtati Tuæ expoſuit,longitudo earum tanta eſt,quanta totius Europæ,minoris uſque ad Mare Caſpium Aſiæ, Perſiæ,omniumque tum Oceani tum mediterranei maris hiſce regionibus adjacentium inſularum, Anglia & Hibernia comprehenſis.Eſt videlicet occultus hic tractus quarta globi terreſtris pars,ac tam latè patet,ut in eo veriſimiliter poſſint eſſe duplo plura regna atque dominia , quam ſint ea quorum Tua Majeſtas hodie Dominus eſt. Nec habent hæ terræ vicinos Turcas, Mauros,aliaſve nationes vicinis ſuis infeſtas. Regiones nobis conſpectæ omnes intra Torridam Zonam ſitæ ſunt. , & pertingit earũ pars uſque ad Circulum æquinoctialẽ,latitudinis graduum 90. vel alicubi pauciorum.Quod ſi reſpondebunt promiſſis,invenientur profectò terræ, quæ optimis Africanarum,toti Europæ,ac meliori Aſiæ majoris parti ſint antipodes,

Moneo verò,cum regiones nobis luſtratæ ad 15. gradus ſint Hiſpania melio[illegible]s,alias altitudini ipſarum oppoſitas,analogicè eſſe debere Paradiſum quamdam terreſtrem.

Refertus eſt totus hic tractus innumerabili incolarum multitudine,quorum alij candido,alij fuſco, & eorum, quos Hiſpani Mulatos appellant,perſimili,alij denique mixto quodam colore ſunt.Capilli nonnullis nigri, longi, ſoluti: alijs criſpi, villoſi,alijs denique flavi & admodum rari.Quæ ſanè diverſitas magni cujuſdam inter eos commercij , crebrique conventus ſignum eſt.Quo equidem argumento,ac tum ex ſoli ipſius præſtantia,tum ex eo quoque quod nullis utantur tormentis Bellicis,alijſve in mutuas hominum cædes paratis machinis,quodque non operentur in argentifodinis, alijſque id genus circumſtantijs facilè colligitur hunc populum eſſe longè numeroſiſſimum. Nec videntur ulla prorſus arte imbuti, ac nec arces habẽt

nec

nec muros, nec Regem nec Legem. Simplices tantum gentiles ſunt, in factiones diviſi, nec unquam ſatis concordes. Arma quibus utuntur, ſunt arcus, ſagittæ (nullo veneno imbutæ) clavæ, fuſtes, haſtæ, ac tela miſſilia, omnia tantum ex ligno. Velant pudenda. Sunt munditiæ ſtudioſi, tractabiles, alacres, eaque in benefactores gratitudine, quam ipſe non ſemel expertus ſum. Vnde ſpes eſt, Deo bene juvante, eos, ſi placidè atque amicè tractentur, dociles atque placabiles fore, quibuſque facile ſatiſſiat. Quę tria initio ſtatim valde neceſſaria ſunt, quo videlicet hi homines perducantur ad illos tam ſanctos tamque ſalutiferos fines, qui optimo ſanè zelo ſtudioque, tam in minimis, quam in maximis, ante oculos nobis habendi & uſurpandi ſunt. Domus ijs è ligno, palmarum frondibus tectæ. Ollis utuntur fictilibus. Machinas quoque textorias norunt, aliaſque eiuſcemodi elegantias. Marmorarij ſunt. Tibias, Tympana, Cochlearia fabricantur e ligno. Oratoria ipſis ſua & ſepulchreta. Horti in areolas pulcrè digeſti, ſepti, ac limitibus ſuis diſtincti. Magnum ijs uſum præbent cochleæ margaritiferę, è quibus cuneos, ſcalpra, ſerras, ligones, aliaque id genus inſtrumenta, tum & globulos collo appendendos conficiunt. Inſulani naviculas habent adfabrè elaboratas, & ad trajiciendum percommodas, argumentum minimè fallax, quod vicini ſint nationibus magis excultis. Cujus rei & illud non vanum iudicium, quod & verres & gallinaceos caſtrent.

Panem habent é triplici ferè radicum genere, quarum ingens paſſim provenit copia, atque huic conficiendo minimum ſanè laboris impendunt, nihil enim quam torrent radices uſque dum ſint percoctæ. Sunt autē ęægrutui valde gratæ, ſalubres, & nutritivæ, diuturnæ prætereà, & inveniuntur quæ ulnam longæ ſint, craſſæ ad ſemi. Fructus in hoc tractu quam plurimi, & quidem eximie boni. Platani ſenum generum. amygdalia quadruplicia. Prægrandes Obi, genus cotoneis noſtris & magnitudine & guſtu pæne adſimile, nuces innumeræ, mala

Medica, tam & citrea, quibus barbari non veſcuntur, alij denique non minus ſuaves, quam prægrandes fructus, quos & vidimus, & guſtavimus. Multæ inſuper & quidem inſigniter craſſæ arundines ſacchari. Eſt & pomorum noſtrorum vulgarium apud eos notitia. Innumerabilis ferè palmarum numerus, a quibus illico poſſit depromi *Tuba*, & hinc confici vinum, ſerum, acetum & mel. Ipſi nuclei admodum ſuaves. Fructus Indi appellant *Cocos*, qui dum virent, poſſunt eſſe pro carduis: medulla cremorem lactis propemodum refert: maturi, terra marique pro cibo ſimul ac potu ſunt: vieti jam & caduci, oleo ſtillanr, quod & tenebris diſcutiendis aptum eſt, & vulneribus, balſami inſtar, medetur, nec minus eſui utile. E corticibus fructuum tenerorum lagenulæ fiunt, aliaque id genus vaſcula: interior verò cortex pro ſtuppa, ſeu muſco eſt, navium commiſſuris ferruminandis. Fiunt ex eo & rudentes, alijque tum bombatdici, tum & domeſticis uſibus proprij funes. Sed quod caput eſt, e frondibus contexuntur minorum navium vela, tenuiſſimæ ſtoreæ, tegulæ denique quibus intus foriſque mnniuntur ipſorum domus, prælongis rectiſque arborum ſtipitibus contignatæ, ex quibus tabulæ quoque fiunt, haſtæ, aliaque telorum genera, remi, ac domeſtica utenſilia. eſt autem notatu dignum, hæc palmeta velut vineas eſſe, ex quibus toto anno leguntur vina, nullo planè labore, nullo ſumtuum temporiſve diſpendio. Inter alias olerum ſpecies viſæ nobis cucurbitæ, *bledi* tum magni, tum parvi, aliaque id genus hortenſia. Habent & fabæ notitiam. Quod verò ad carnes, magna porcorum eſt copia noſtratibus adſimilium, multæ gallinæ, capi, perdices, anates, turtures, columbæ, palumbes, & capræ, alteri Capitaneo viſæ. Significarunt nobis Indi & de vaccis quoque ac bubalis. Piſcium genus multiplex, *Harghi*, *Peſcereyes*, *Lizæ*, lingulacæ, Salmunculi, *Meri* aloſæ, *Macabiſes*, *caſanes*, *Pampani*, ſardæ, rajæ, cuculi, *chitevicie*, anguillæ, porci marini, *chapini*, *rubiæ*, *almexæ*, gammari, aliæque complures, quarum nomina mihi nunc non ſuccurrunt. Quin

& longa

& long pluraè piſcium illic oportet ſint genera , cum ea quæ dixi junctim a nobis capta ſint iuxta naves. Quæ omnia ſiquis attentè conſideret, comperiet ex tam multiplici tamque præſtanti annona illicò percipi poſſe raras variaſque delicias, uſque ad Martios panes, quos vocant, & omnis generis conditanea, idque ſine ullis aliunde petendis ſcitamentis. Quod verò ad nauticam ipſam turbam, non deerunt, præter jam commemorata, petaſones, butyrum, quæque alia porci ſuppeditant, quin nec acetum, aromata, aliave condimenta. Notandum, multa iſtorum noſtratibus eſſe ſimilia, & fortaſſis multo hic abundantius inveniri: tum quod hoc ipſo teſtatur tellus, aptam ſeſe omnibus quæ Europa producit gignendis.

Opes mihi conſpectæ argentum & uniones ſunt. Alter verò Capitaneus in relatione ſua ſe & aurum vidiſſe commemorat. Tres nimirum pretioſiſſimæ rerum ſpecies, quas creavit natura. Multa inſuper nux myriſtica, maſtiche, zingiber, piper, utrique noſtrum conſpectum. Eſt & cinnamomi notitia. Fierique poteſt, ut naſcantur & caryophylla , cum tot alia inveniantur aromata, eo magis, quod hæ terræ patum abeſt quin parallelæ ſint regionibus Terrenatæ atque Bachan. Eſt præterea & ſerici conficiendi materies, tum *pitæ*, *añiri*, ſacchari. Ebenum habent valde eximium, aliaque lignorum genera, navibus quotquot deſideres conſtruendis idonea, una cum ſuis velis, ac triplici ad rudentes materie, quarum una cannabi noſtræ conſimilis. Fit deinde ex oleo illo cocorum *galagala*, vicem liquidæ picis præſtans. Eſt & reſinæ quoddam genus, qua Indi *Piraguas* ſuas oppicant. Cumque & capræ illic conſpectæ ſint, & vaccarum habeatur notitia, magna procul dubio marroquini, corij, ſebi & carnium erit copia. Apes viſæ mellis ac ceræ ſunt argumentum, multa inſuper nobis adhuc incognita regiones hæ pollicētur, ut ne quid dicā de ſitu earū ac forma. Quibus omnibus ſi accedant

ea quæ dabit induſtria, cum & tanta ſit rerum ex ipſa terra naſcentium copia, & tam magna noſtrarum, (quarum ſicut & optimarum nonnullas utiliſſimarumque in Peruvia & Hiſpania Nova provenientium eò decrevi auferre) gignendarum ſpes, videntur hæc ſane conjunctim terram hanc adeò ditatura, ut & ſuis ipſius, & Americæ quoque populis ſuſtentandis, Hiſpaniæ verò & magnitudine ſimul & opibus locupletandæ una largiter ſuffectura ſit, modo, quem oſtenſurus ſum, ſi fuerint qui ad exequendum hoc opus manus auxiliatrices porrigant. Littoralium verò nobis luſtratarum terrarum indicio, dico Domine, ex ipſo earum meditullio tantas ſperandas eſſe divitias, tanta cō-moda, tantam magnitudinem, quanta jam incipit eſſe noſtra. Notandum quoque præcipuum mihi fuiſſe ſcopum, regiones tam amplas, quam jam deteximus, tantummodo indagare: neque potuiſſe me, propter varios meos morbos, atque alias quoque, quas ſileo cauſſas, omnia quæ libuiſſet ſpectare, nec vero poterant quæcunque voluiſſemus ſpectari unico menſe, quorum annus includit duodecim, omnes demum omnium regionum creatarum qualitates & fructus indicantes. Neque debent Indi, regionum illarum indigenæ, æſtimari ex noſtrorum hominum cupiditatibus, guſtibus, neceſſitatibus, & rerum æſtimationibus: ſed habendi ſunt pro hominibus, qui vitam hanc ſuaviter, ac quam minimo fieri poteſt labore, traducere ſtudeant. Quod & faciunt ſanè, nihil ultra curantes eorum, ob quæ ipſi tantopere nos torquemus atque defatigamus.

Tantas inibi ſtatim habitura eſt vita humana commoditates, tantas delicias, quantæ ex tam culto, tam amœno, tamque temperato ſolo ſperandæ ſunt, quod & furvum, & pingue admodum ac fœcundum eſt, argilla paſſim abundans, ad extruenda illico ædificia, lateresque ac tegulas, & quidquid præterea ex argilla coquitur, efformandum, ſed nec marmora, aliave vivi lapidis genera deerunt, ſicui ſplendide ædificare libido ſit. Lignis ad quævis opera neceſſarijs terra ſcatet, pulchræ in ea planities,

campi

campi ut plurimũ rivis,foſſis,amnibus interſtincti, præaltæ & quidem duplices rupes, multi paſſim torrentes,amnes,fluvij,in quibus commodè extruantur hydromylæ, *azenæ*, *trapiches*, aliæque aquariæ moles,occurunt hic illic *eſſeni*,ſalinæ, & quæ fœcunditatis ipſius ſoli teſtes ſunt, crebra canneta, in quibus cannæ quinque ſex palmos craſſæ,fructu analogicè reſpondente,ſummitas ipſa fructuũ tenuis ac prædura,cortex levis ſilices denique inveniuntur igniarij bonitate Madritenſibus pares.

Sinus ſanctorum Philippi & Iacobi actam habet 20. leucas patentem, illimis totus, ac tam de die quam noctu intrantibus tutus,habitationibus frequens,quarum,& quidem eminus, luce fumus,tenebris ignis & lumen ſæpe conſpectum eſt. Portus cui nomen eſt Veræ Cruci,tam latè patet, ut vel mille navium capax ſit.Fundus (ut dixi) illimis, & nigricanti arena. Nullæ uſquam in eo inventæ ſyrtes, & tutò figitur anchora ad quotcumque libitum ulnas,a 40. videlicet uſque ad ſemi, idque inter duorum fluminum oſtia, quorum alter Bætim magnitudine ferè ſuperat, *borram* habens duas amplius ulnas profundam, quæ cataſcopia & *pataſſas* tranſmittit: alterum flumen ſcaphæ noſtræ,aquatum pergentes,tuto ingrediebantu.. Eſt verò ad ejus ripam paſſim invenire aquarum ſanè quam limpidiſſimarum copiam, locus, in quo exonerantur naves, acta eſt trium plus minus leucarum,nigricantibus,minutis ac ponderoſis ſilicibus cooperta, navibus ſaburrandis longè aptiſſimis. littus, quod nullas haberet voragines,ſive fiſſuras, quodque herbæ in eo naſcentes virerent,credebatur Oceano non pulſari, cumque arbores omnes ſtarent erectæ, nec ullo affectæ eſſent incommodo,judicatum fuit non ſævire inibi tempeſtates.Portus ipſe, præter quas dixi,eſt & alia quadam delectabili ſanè commoditate,ſeu mavis amœnitate inſignis. Ipſo enim ſtatim diei diluculo exaudiebatur è propinqua ſylva dulciſſimus quidam concentus chiliadum aliquot omnis generis avium, inter quas (ut videbatur) luſciniæ,merulæ,coturnices,acanthides, hirundines

ferè

fere innumeræ, *Perequiti*, & unus (ut obſervatum eſt) pſittacus, & aliæ complures avium ſpecies, etiam ad locuſtarum uſque & cicadarum garritus. Mane ſimul & veſpere nares adflabant ſuaviſſimi quidam odores, prodeuntes è tam vario florum genere, ne *azahare* quidem aut *alvahaca* deſideratis. Et ex his aliiſque concluſum eſt, aërē regionis oportere ut perquam benignus ſit, ipſamque adeo matrem naturam optimam ibi ſervare temperiem. Redduntur deinde & hic portus, & ejus ſinus, eo ipſo quoque magis laudabiles, quod vicini ſint tot pulcherrimis Inſulis, præcipuè illis ſeptem, quas fama eſt ad ducentas ferè leucas extendi, & ſanè earum una quinquaginta leucas habet in ambitu, duodecim ferè leucis ab ipſo portu diſcreta. In ſumma Domine, dico ad hunc ſinum & ejus portum, ſub 15.$\frac{1}{3}$ graduum poli arctici altitudine poſitos, exſtrui illicò poſſe amplam quandam & populoſiſſimam urbem: hominesque eamdem inhabitatures omnibus, quotquot deſiderare valeant, opibus atque commoditatibus fruituros. Quas quidem commoditates tempus docebit, quaſque largiter impertiri poterunt terris Chili, Peru, Panama, Nicaraguæ, Gattimalæ, Novæ Hiſpaniæ, Terrenatæ & Philippinis, quarum omnium Tua Majeſtas eſt Dominus, quæ ſi & harum quas nunc offero dominium ſibi adquiſiverit, tum verò ego eas tam magni facio, ut (præterquam quod veluti claves ſint omnium prædictarum) futuræ ſint, meo quidem judicio, quod ad curioſarum pretioſarumque mercium negotiationem attinet, ditionem nunc mitto, altera quædam China, Iapan, & ſi quas præterea divites terras Inſulaſve Aſiæ illa littora continent. Et ſum brevis pro eo quod de terris his mecum ſentio, quodque in Mathematicorum conventu paratus ſum demonſtrare. Nec me diffundo, ut oſtendam, has terras, primo ſtatim ingreſſu, ſuſtentare poſſe viginti hominum Hiſpanorum myriadas. In ſumma Domine, hic ille eſt mundus, cujus Hiſpania jam ſit centrum. Hic, adſpectu corporis, unguis eſt, & notetur hoc verbum.

Bonitas temperieſque äeris Domine tanta eſt, quanta ex ijs quæ jam dicta ſunt poteſt colligi. Cujus quidem rei & hoc clariſſimum eſt indicium, quod cum noſtri homines inibi eſſent exteri, nemo tamen eorum ullo morbo correptus ſit, quamquam & operarentur aſſiduè, & ſudore diffluerent, ac aliunde quoque madeſcerent, nec vel jejuni aquarum potu, eorumve quæ tellus producit eſu ſe abſtinerent, quin nec ab äere veſpertino, lunave ſibi caverent, aut ſole, qui de die non nimium vehemens. A media nocte poſcebatur & facillimè ferebatur lanea ſtragula. Cum vero indigenæ habitiores ferè ſint, & quidam valde grandævi, licet humi ut plurimum habitent (quod eximiæ ſanè ſalubritatis ſignum eſt: nam ſiquod ſolo ineſſet vitium, attollerent illi haud dubiè ſuas domos, ut fit in Inſulis Philippinis, alijſque nonnullis mihi luſtratis tractibus) cumque & carnes & piſces, etiam nullo ſale adſperſi, ultra biduum perſtent incorrupti: cum illinc allati fructus (ut e duobus, quos penes me habeo, licet intempeſtivè decerptis, apparet) admodum ſint ſalubres: cum denique nulla nobis conſpecta ſint ſabuleta, nulli cardui, ſpinoſæve, aut radicibus ſupra ſolum porrectis arbores, nullæ prorſus lacunæ, nullæ paludes, nullæ in montibus nives aut noxij vermes, nulli in fluvijs crocodoli, nullæ domib⁹ pariter frugibuſque detrimentoſæ formicæ, niguæ, erucæ, culices: dico, hanc eſſe prærogativã ſuper omnes prærogativas, dignã quæ conferatur, imò & præferatur multis Indiæ regionibus, ob ſola iſt hæc incommoda prorſus deſertis: alijsque nõnullis, quarum incolis ea tam ſunt moleſta, quam ipſe poſſum teſtari. Atque hæ Domine ſunt virtutes & excellentiæ terrarum a me detectarum, quarum poſſeſſionem, nomine Majeſtatis Tuæ, & ſub Regio tuo vexillo, jam cepi, ut teſtantur acta penès me adſervata.

Principiò Domine erigebatur crux, & exſtruebatur ædes ſacra honori Divæ Virginis Lauretanæ dicata, celebrabantur viginti miſſæ, concurrebatur ad obtinendas indulgentias in feſto

Sacramenti die ſolemnis ſupplicatio: in ſumma ipſum Sanctiſſimum Sacramentum, prævio Majeſtatis Tuæ vexillo, perambulabat honorabatque occultas illas terras, in quibus tria erexi vexilla, quorum ſingula geminas oſtendebat columnas, inſignijs Majeſtatis Tuæ adpoſitas, unde meritò poſſum dicere, in quantum hæc Orbis pars eſt, impletum hic eſſe verbum illud Plus ultra: in quantum verò eſt continens, longè tam antè quã ponè latius eſſe perventum. Hæc autem, & quæcumque præterea geſta ſunt feci tamquam Majeſtatis Tuæ fideliſſimus cliens, quò videlicet Tua Majeſtas hunc titulum poſſit reliquis ſuis adjungere, utque perſonet ubique terrarum Auſtraliæ incognitæ nomen, in Majorem ejuſdem Domini gloriam, qui terram hanc revelavit, meque ad eam perduxit, & coram Majeſtate Tua ſtitit præſentem, in cujus conſpectu etiam nunc adſto, eodem quo antehac animo erga hanc cauſſam adfectus, quam velut eduxi a parvula, ac propter dignitatem ſuam & merita ſupra modum deamo, atque de pereo.


Credo equidem, quæ eſt Majeſtatis Tuæ in conſilijs capiendis prudentia, magnanimitas, Chriſtianaque pietas eam ſummo ſtudio procuraturam, ut de futura terrarum iſtarum jam detectarum inhabitatione tam reddatur ſecura, quam par eſt: cum præcipua, quæ nos obligare debeat, ne patiamur eas deſertas, cauſſa ſit, quod hoc unicum ſit remedium, eò ſpectans, ut Dominus Noſter Deus in ijs agnoſcatur & credatur, adoretur atque colatur, ubi tantoperè colitur nunc diabolus. Eo Magis quod hoc futurum ſit velut oſtium, quo tot Majeſtati Tuæ ſubjectis populis intraturæ ſunt tam multæ commoditates, & emolumenta: quodque graviores longè exorituræ ſint curæ, ſi contingat ad illas tendere. Romanæ Eccleſiæ perduelles, ad falſa ſua dogmata propaganda, & quæ hactenus a me recitata ſunt bona in graviora mala vertenda, uſurpandumque ſibi Indiæ Dominorum vocabulum, ipſas verò funditus evertendas.

Neque dubito quin Majeſtati Tuæ jam conſtet, graviſſimum illud,

illud, de quo nunc agimus, damnum, vel & aliud quodvjs jam inſtans, aut in poſterum oboriturum incommodum, innumeris auri ſimul & hominum millionibus conſtiturum, priuſquam ad incertum aliquod deveniri poſſit remedium. Acquirat igitur, dum licet, Tua Majeſtas (ut aliquando acquirat & coelum) acquirat inquam, pauco in Peruvia exponendo argento, & perpetuum ſibi nomen, & ſimul novum hunc Orbem, cum omnibus ijs quæ pollicetur. Cumque nemo nunc ſit, qui Majeſtatem tuam, pro hoc tanto tamque inſigni Dei beneficio, feliciſſimis tuis temporibus reſervato, petat Evangelium, Ego Domine id mihi expoſco, & ejus vicem, ex peditionem meam atque reſponſum, parati namque ſunt galeones, & mihi multum obeundum eſt viæ. pluri maque reſtant apparanda & diſponenda, quin & ſpirituali ſimul & temporali bono multum in horas decedit, damno prorſus irreparabili.

Si Chriſtophorum Columbum ſuſpiciones ſuæ reddidere præfractum, me ea quæ his oculis vidi, manibus contrectavi, quæque nuuc offero, cogunt eſſe tam importunum. Quare obſecro placeat Majeſtari Tuæ ut ex tot quæ adſunt remedijs unũ aliquod decernatur, quo tãdem efficiar voti compos: præmovoti nens, inveniendum me admodum æquum, & in omnibus daturum eſſe ſatiſfactionem.

Domine, Magnum hoc opus eſt, cum tam acriter id oppugnet diabolus, nec æquum eſt, ut ram multum is poſſit, cum Majeſtas Tua ſit terrarum illarum defenſor.



Samoiedarum, trahis a rangiferis protractis inſidentium; Nec non Idolorum ab iiſdem cultorum effigies.


Caerte van't Noorderſte Ruſſen, Samojeden, ende Tingoeſen landt: alsoo dat vande Ruſſen afghetekent, en door Isaac Maſſa vertaelt is.
16
Beloi oſtorf — Wit eylant.
Rebnaia — Patrys riviere.
Moetnaia — Obi riviere.
Tsernaia — Roo riviere.
Zelensi — Grohe eylāden.
Goltzi — Grondelingen.
Promoi — Inham.
Swetenoos — Heylgeboeck
Dolgo oſtrof — Lange eylant
Troscouaia — Cabelauwriviere.
Matſeof — Mathys eylant
Zemoſtrof — Zeven eylanden
Zeleneja — Groen.
Cosci — Catten.
Ozera — Lacus.
Nova Zemla
Matſei of tſar
T Lagghe Eylandt
Hier machmen by hooghwater overvaeren, anders iſt droogh
Poronouo
Zemostrof
Weygats
Socolia loeda oft der Valken eylant
Meestoi
Beloi oſtorf
Oſtorf
Ob
Naronteza
Serapoua coosci
Moetnaia
Ozera
Toergaeſ boeck
Taſoofs ſtat
Voloc of overtoom
Tsenaia
Reebnaia
Sibier
Piet Riviere
Kolgoi
Canninoos
Leetnastrona of Somersyde
Monasterium Corelſcoi
t'Casteel Archangeli
Somersyde oft Leetnastrona
Cosci
Petzora
Dolgo ostrof
Matſeof
Goltſi
Troscouaja
Kloboecoua
Cocotava Reca

Apographum

Deſcriptionis regionum Siberiæ, Samojediæ, atque *Tingoëſiæ*.

Vnà cum itineribus è Moſcovia, Ortum & Aquilonem verſus, eò ducentibus, prout a Moſchis quotidie frequentantur.

EſT in *Moſcovia* gens, cui nomen *filÿ Aniconÿ*, progenie ruſticana, & ab *Anica* quodam agricola primum exorta. Hic agris admodum dives, habitabat ad flumen quoddam, cui nomen *Witſogda*, influens in fluvium *Dunam*, qui centeſimo inde milliari, propè *Fanum Michaelis Archangeli*, arcem ſic appellatam, exoneratur in *mare Album*. Hic igitur *Anica*, dives (uti jam dictum eſt) numeroſam quoque habebat prolem, benedixeratque ei largiter Deus, ac de omnibus rebus abundè proſpexerat. Stimulabatur tamen acri quadam cupidine, ſtudebatque omnino cognoſcere, ecquas populi illi poſſiderent atque incolerent terras, qui negotiatum quotannis accederent in *Moſcoviam*, pretioſas animalium pelles, aliaſque nonnullas merces ſecum adferentes, & lingua, veſte, Religione, ac moribus multum diverſi, nominantes ſe *Samoiedas*, atque alia quædam ſibi imponentes vocabula. Deferebantur quotannis hæ gentes ſecundo *Witſogda*, merceſque ſuas cum *Ruſſis* & *Moſchis* permutabant in oppidis *Oſoyla* & *Vſtinga* ad *Dunam* fluvium, mercium omnis generis, nominatim verò pellium pretioſarum per id tempus receptaculis & emporijs. *Anica* igitur (uti jam dictum eſt) cupidiſſimus erat ſciendi, unde nam homines iſti venirent, quaſve terras incolerent, facilè conjiciens magnas inde opes poſſe acquiri, pellibus annuatim per eos advectis ad ingentem pecuniæ ſummã

adſcendentibus. quare conttaxit clamculum cum eorum nonnullis amicitiam & foedus, atque ad decem vel duodecim ſuos homines in eorum comitatu ad terras illas ablegavit. Injuncto, ut quaſcumque regiones perambularent, in ijs ſingula quæque diligenter explorarent, gentiumque ipſarum mores, ritus, manſiones, ac totam adeo vivendi rationem ſedulò annotarent, quò videlicet exactam inde notitiam, domum redeuntes, referrent. Quod cum aliquando feciſſent, ipſe reverſos prolixè accepit, omniq́ ſtudio proſecutus eſt, impoſito tamen ijs fido ſilentio, continuit autem & ipſe hæc omnia apud ſe, neque cuiquam aperuit, & anno inde ſecuto maiorem eò ſuorum numerum ablegavit, cognatis aliquot & propinquis adjunctis. Hi ſecum abſtulere viliores nonnullas merces, tintinnabula nempe, aliaque id genus ab Germania ſcruta, atque regionum earum ſingula quæque ſagaciter perſcrutati ſunt, perveneruntque, poſt complura deſerta & magnos aliquot fluvios ſuperatos, uſque ad flumen *Obij*, ubi contracta cnm Samojedis amicitia foedereque obſervarunt pelles illic haberi in parvo pretio, & ex facili poſſe divitias colligi, præterea non habere hunc populum ullas urbes, ſed gregarim inter ſe & pacificè vivere, ac ab ſenioribus aliquot regi, in victu eſſe immundos, & ferarum, quas caperent carnibus victitare: frugum paniſve nullam habere notitiam: ſollertes eſſe atque induſtrios admodum ſagittarios, arcus e lento quodã & flexibili ligni genere conficere, lapidibus exacutis, vel & piſcũ ſpinis præmunitos. hiſce feras trajicere, quarum maximus imbi eſſet numerus: ſuere quoq; piſciũ ſpinis, quæ pro acubus ipſis eſſent, ſicut animalculorũ quorundã nervi pro filo, atque ita conſerere quibus ſe induerẽt pelles. quarũ pilos æſtate quidem extrorſum, hyeme verò introrſũ verterent, domos ſuas tegere Alciũm aut ſimiliũ animaliũ pellibus, quas nullo planè haberẽt loco. In ſumma hi *Anicæ* emiſſarij curioſe ſingula quæque perluſtrarunt, & onuſti divitijs pelliũ domum reverſi ſunt: ubi cum ex eorum relatione intellexiſſet *Anica*, quæ tantopere expetebat ſcire, negotiatus eſt una cum quibuſdam ſuis amicis in illis terris per continuos aliquot annos, unde factum ut *Anicouij*

nij evaſerint præpotentes, multoſque undique coëmerint agros. vicini, undenā opes iſtæ exorirentur ignari, magna tenebantur admiratione. condebant namque *Aniconij* etiam ædes ſacras in aliquot ſuis pagis. Quin & pulcherrimum poſtea templum exſtruxerunt iu urbe *Oſoyla* ad *Witſogdam*, ubi tum temporis habitabant, quod ab ipſis uſque fundamentis conſtabat è vivo lapide. In ſumma ignorabant ipſi opum ſuarum modum.

Conſiderabant tamen interea, facilè fieri poſſe, ut fortuna ipſis aliquando obverteret tergū, ut ſæpenumerò fit, cum præſertim gravi apud plæroſque, propter opes ſuas, laborarent invidia, quamvis ipſi tamen neminem ulla affeciſſent injuria. Itaque ſapienter admodum cogitarunt hoc ipſum, ſi fieri poſſet, prævenire, quò videlicet permanerent eo in quem jam aſcenderant gradu. Iactatur autem vulgò apud Moſchos tamquam proverbium, eum, cui in aula non ſunt amici, vix in hominum numero eſſe habendum: fit enim plærumq́, ut qui ulla in re excellunt invidia ſtatim graventur, & vel falſò deferantur ad aulam Principis, ubi niſi fautorem aliquē habeant, illicò indicta cauſſa opprimuntur, imo verò penitus evertuntur, quare & *Aniconij*, ea qua dictum eſt opulentia præditi, conciliaverant ſibi amicum unum ex ijs qui tum videbātur præcipui, erat is *Borius Godenovius*, Imperatoris tunc regnantis, *Theodori* nempe *Ianovitſij* gener, qui & ipſe defuncto ſocero in regnum ſucceſſit: prout latius iſta referuntur in hodierna bellorum Moſcoviæ deſcriptione. Huic itaque *Borio* conſtituerunt *Aniconij* ſingula revelare, oblatis prius ei de more muneribus, ac rogantes, præberet dictis ipſorum aures, ut qui aperiendam haberent rem toti Imperio conducibilem. *Borius* arrectis ſtatim ad petitionē hanc auribus, multo quam antè ſoleret prolixius eos excepit: cumque expoſuiſſent terrarū Samojediæ atque Siberjæ ſitum, tum quæ inibi conſpexiſſēt & obſervaſſēt, & quantæ hinc opes Imperio Moſcovitico poſſent accedere: hæc inquam cum diffuſè ipſi narraſſent, licet handquaquam adderent, quam ſecretò negotiū hoc adminiſtraſſent, quantaſq́ ſibi jam ante corraſiſſent divitias: *Borius* ſtatim ardere cupiditate, ac omninò velle iſthæc inquirere,

ample-

amplexus eos non ſecus quam ex ſe natos, & ubicumque poſſet attollens, conceſſo, *Imperatoris* nomine, ampliſſimo ipſis diplomate, quo cautum erat, ut ſine ulla contradictione, terris quas poſſidebant, perpetuo fruerentur, eaſque pro arbitratu ad hæredes ſuos tranſmitterent. Quin ſiquando accideret, ut hiberno tempore agerent in *Moſcovia*, tollebat eos ipſe in ſuam rhedam, quod ſummum apud *Moſchos* genus honoris eſt, maximè cum defertur a Viris magnatibus, qualis tunc erat *Borius*, vir potentiſſimus, & penes quem rerum imperij ejus ſumma.

Borius attentè hæc meditatus, Imperatori rem omnem aperit, cuj id perquam gratum. Quare & majore Borium deinceps honore proſecutus eſt, & quidquid ſuper iſthoc negotio agendum videretur arbitrio ejus permiſit, Ille minime rei indormiens, centurionibus aliquot, tenuioriſque fortunæ nobilibus, & clientibus ſuis ad hanc rem uſus eſt: juſſo, ut cum ijs quos daturi eſſent *Aniconij* itineri ſeſe committerent, utque ſplendide & Legatorum in morem ſeſe veſtirent, adjunctis inſuper aliquot militibus, & munuſculis parvi pretij, quæ gentibus diſtribuerent ad quas perventuri eſſent: injungens præterea, ut trajectus omnes, & flumina, vias, ſylvas, & que talia perviam ipſis occurrerent, diligenter notarent, quin & eorum vocabula memoriæ inſcriberent, quò reverſi ſingula poſſent fideliter & veraciter ſimul referre: addens ut quam amiciſſimè populos illos tractarent, & idoneum aliquem explorarent locum, ubi arces & propugnacula poſſent exſtrui, utque omninò (ſiquà fieri poſſet) aliquos regionum illarum indigenas in *Moſcoviam* unà ſecum adducerent.

Legati, omnibus ad iter hoc conficiendum neceſſarijs, veſtibus nempe, armis, pecunijs atque donarijs pulchré inſtructi, è *Moſcovia* diſcedentes ad *Witſogdam* & *Aniconios* non multò poſt devenerunt. Qui & ipſi quoſdam è ſuis eò miſerunt: Quin & filij quoque ipſorum & cognati unà profecti ſunt.

Statim ut eò venerunt, coepere que in mandatis habebant exequi, barbaris omnia benevolentie ſigna liberaliter exhibentes

tes, ac ſedulò, quinam apud eos plurimum poſſent, ſcrutantes, quos & honore ſimul & munuſculis affecerunt, exigui quidem his, imò nullius pæne valoris, ſed quæ ipſis viderentur uſqueadeò pretioſa, ut *Moſchos* eminus adventantes magnis jubilis & applanſibus opperirentur, ſeque ad donantium pedes, qui tam ſplendidè ſcilicet eſſent exculti, dejicerent, habentes eos planè pro dijs. *Moſchi* interpretibus uſi *Samoiedis*, per aliquot annos in *Moſcoviæ* pagis linguæ addiſcendæ cauſſa verſatis, coepere cum Barbaris agere de ſuo illo *Imperatore*, quem miris laudibus extollebant, & tantumnon faciebant terreſtrem aliquem Deum, multa obiter admiſcentes, quibus homines, illi moverentur ad exoptandum, ut oculis ea liceret uſurpare. grata *Moſchis* hæc vota, quare & ſua illis jungebant, addentes ſeſe obſides aliquot relicturos, qui, dum agerent in *Moſcovia* Barbari, linguam eorum addiſcerent, atque hoc modo multorum cis *Oby* hominum animos pertraxerunt in ſuas partes, qui ultro ſe ſubjecerunt *Moſchorum* imperio, & ab ijs taxari etiam paſſi ſunt, promitteutes in ſingulos annos & capita, ne pueris quidem arcum modò tractare diſcentibus lege exceptis, binas ſabellinorum pelles, ipſis ſanequam viles, ſe *Moſchis* inſtar cimelij pretioſas. eas promiſerunt ſe tradituros quæſtori a Principe deputando. Neque defuit dictis eventus. Trajecere dehinc Legati fluvium *Obij*, & ducentas ferè trans eum Leucas, Orium & Aquilonem verſus, emenſi ſunt, plurimas paſſim conſpicati inſolita ſpecie feras, limpidiſſimos ſontes, ſtirpes & arbores rariores, amœnas ſylvas, & non unius generis *Samoïedas*, quorum aliqui Alcibus portarentur, alij rhedis, ab *rangiferis*, vel & canibus quoq; protractis, qui celeritate cervos æquarent. Multa denique occurrerunt ijs toto itinere antè non viſa, ideoque & admiranda. Quæ ordine quidem & fideliter annotarunt, quo reverſi certiora poſſent referre. Atque ita tandem, & voluntarijs aliquot *Samoiedis* ſecum aſſumtis, & ſuorum nonnullis, qui linguam addiſcerent, apud *Samoiedas* relictis, in *Moſcoviam* demum reverſi ſunt, ubi prima ſtatim occaſione *Borio*,

& per hunc *Imperatori*, expoſuere omnē itineris ſui ſucceſſum. Mirabantur hi valdè adductos ad ſe *Samoiedas*, eoſq; juſſerunt edere ſuæ in ſagittando dexteritatis ſpecimen, quod tā ad amuſſim ab ipſis factum, ut vix cuiquā videretur credibile. acceptum namq; dimidiato noſtro ſtufero minorem nummum, atq; ſtipiti arboris alicujus adfixum, digreſſi ab ea tam longè, ut nummulus tantumnon eſſet extra conſpectum, ita certò feriebant quoties jacularentur, ut ne ſemel quidem aberrarēt. quod multi è ſpectatoribus ſupra modum mirati ſunt. Contrà verò hi *Samoiedæ* ſummoperè admirabantur cum vitam & mores *Moſcorum*, tum & urbis ipſius ſplendorem. nec ſine quodam horrore intuebantur ipſum *Imperatorem*, tam magnificè cultum, & vel equo aliquo ſingulari, vel eſſedo a tot ſimul equis protracto invectum, totq; nō minus ſplēdidè exornatis Satrapis cinctum. tum & prætorianos admirabundi ſpectabant ſclopis ſuis inſtructos, quorum ad quadringentos prodeuntem in publicum *Imperatorem* comitarentur. ipſos quoq; nolarum apud *Moſcos* ſatis crebrarum bombos quotieſcumque audirent, & viderent tot luculentas tabernas, reliquumque urbis ipſius ſplendorem, toti obſtupeſcebant, ſeque in Deorum aliquo throno exiſtimabant verſari, exoptantes ſubinde, popularibus ſuis adeſſent, atque hæc omnia poſſent referre. quin beatos ſe prædicabant, quibus parere contigiſſet tam glorioſo *Imperatori* quem planè habebant pro numine. Cibos ſibi a *Moſchis* appoſitos avidè comedebāt, ut facilè appareret, eos crudis, quibus domi veſcuntur, carnibus, piſcibuſque vento duratis palato ipſorum acceptiores.

Promiſerunt in ſumma. ſuſcepturos ſe Imperatorem in Dominū, & popularibus longè lateq; diffuſis, idem ut facerēt, perſuaſuros, demiſſè quoq; Imperatorem rogarunt, dignaretur ipſos hac gratia, & gubernatores aliquot mitteret, a quibus regerentur, quibuſq; tributa jam dicta perſolverent. Quod ad idololatriam eorum pertinet, ejus nulla facta eſt mentio, ſed relicti ſunt ſuis moribus. Ego tamen exiſtimo, fidem Chriſtianam apud eos facilè propagādam, ſi quos nāciſcerentur idoneos atq;

pios

pios doctores. neq; dubito quin & iſthæc procurarentur a *Moſchis*, niſi graviſſimis hiſce bellis diſtringerentur.

Hiſce, ut relatum eſt, geſtis, *Aniconij* ad magnos honores evecti ſunt, magnaq; paſſim immunitate, quin & imperio in nonnulla terris ſuis finitima loca donati, latifundia centum inter ſe milliaribus diſſita, ad *Dunam*, *Witſogdam* & *Sochnam* flumina poſſidentes. adeò quidem ut & potentiſſimi ſint & opulentiſſimi, majoribuſq; indies honoribus augeantur.

Conſtitutum præterea apud *Moſchos* eſt, deligenda ad flumen *Obij* & in finitimis illi campis loca, ipſa ſui natura munita, in ijſq; condendas ac præſidiario milite firmandas arces, ac omninò mittendum eò Gubernatorem aliquem generalem, terræ nimirum ulterius detegendæ ſubjiciendæque. Hæc uti fuerant conſtituta, ita & effectum ſortita ſunt. ac principiò quidem exſtructæ ſunt aliquot arces, validis è nemoribus illic exciſis trabibus intertextæ, hinc terra oppletæ, & præſidio communitæ. Tantaq; in dies eò mittitur hominum multitudo, ut in aliquot locis collectæ jam ſint civitates, è *Polonis*, *Tartaris*, *Ruſsis*, alijſq; nationibus inter ſe mixtis conflatæ. relegãtur enim in illas oras omnes quotquot ſunt exules, homicidæ, proditores, fures, atque ejuſmodi hominum morte dignorum fæx. quorum alij aliquãdiu aſſervantur in vinculis, alij ad aliquot annos coguntur ſubſiſtere, quiſque pro delicti ſui modo. unde populoſæ paulatim coaluerunt hominum ſocietates, quæ unà cum arcibus jam exſtructis juſtum ferè conficiunt regnum. confluentibus eò quotidie multis tenujoris fortunæ hominibus, eoquod plurimæ illis conceduntur immunitates, nec pro agris quidquã perſolvãt.

Tractui nomen *Siberia*, urbi in eo exſtructæ *Siber*. & initio ſanè facinoroſi *Moſchorum* ad auditum *Siberiæ* nomen non aliter expaveſcebant, quam flagitioſi apud *Amſterodamenſes* ad famoſum illud ergaſtulum. ablegabantur enim illicò Siberdamum. Iam vero nimia pœnæ illius frequentia pæne abijt in contemtum. Optimates tamen & nobiles *Moſchi*, ſiquando incurrerũt in Principis indignationẽ, Siberiæ nomẽ adhuc multũ

 abomi-

abominantur, relegantur enim nonnumquam & ipſi uná cum uxoribus & familia in illas oras, ubi committitur ipſis aliquis Magiſtratus, dum ira Imperetoris leniat, & in Moſcoviam revocentur.

Indicabo deinceps quonam in illas terras è *Moſchis* itinere pertendendum ſit, idque non niſi pro modulo acquiſitæ mihi inde notitiæ, quam ipſam, qualiſcumque tandem Videbitur, non ſine magna mea moleſtia, & benefica amicorum quorumdam. mihi, dum apud *Moſchos* verſarer, in aula comparatorum opera, ſum adeptus, ipſi enim, quamvis eſſent in me proclives, & quam diutiſſimè apud eos inſtetiſſem, vix tandem auſi ſunt itinerariũ hoc mecum communicare. Nam ſi & poſteà quoque, tranquillis regni temporibus, id aliquà erupiſſet, actum profectò fuiſſet de eorum omnium capite. Eo namque ſunt *Moſchi* ingenio, ut revelari non ferânt imperij ſui arcana,

ITINERVM atq; FLVVIORVM Ortum & Aquilonem verſus è Moſcovia in Siberiam, Samojediam, & Tingoëſiam ducentium, prout à Moſchis quotidie frequentantur, brevis deſcriptio.

ITEM

Oppidorum à Moſchis in Siberia conditorum nomenclatura, quorum in eo tractu Prorex terras illas paulatim explorandas, invadendas, & coloniis occupandas procurat, & iam tantumnon in maiorem uſq; Tartariam penetravit.

EX urbe Soil ad *Witſogdam*, in qua habitant *Aniconij*, contendunt adverſo flumine dum perveniant *Iaviniſcum*, oppidulum a Moſchis conditum, & *Soila* ſeptemdecim ferè dierum itinere diſſitum. quò priuſquam deveniant, multa flumina, multas ſylvas pertranſeunt. profluit autem *Witſogda* è montibus *Ioëgoriis*, *Tartariæ* ad Auſtrum contermminis, atq; hinc, Boream verſus ad ipſum uſq; Oceanũ procurrentibus. ex iiſdem montibus oritur & *Petzora*, qui cis fretum *Weygats* Oceano ſe commiſcet. *Iaviniſco* digreſſi, poſt trium hebdomadum iter deveniunt ad *Ne-emum, quod tam leni per ſylvas fluit agmine flumen*, ut inde ſibi invenerit nomen. *Ne-em* namq; Latinis ſignificat mutum. in eo quinq; propemodum dies ratibus ſuis vel ſcaphis navigant. poſteà verò, compendij cauſſa, properante videlicet aliorſum *Ne-emo*, ſarcinas ſuas, ad unam dumtaxat leucam, terra portandas curent neceſſum eſt. quo facto, *Wiſeram* devenitur, flumen è quibuſdam rupibus, *Ioëgoriorum* montium appendicibus profluens. eas Moſchi *Camenas* vocant. feruntur hinc novem continuos dies ſecundo *Wiſera* donec perveniant *Soil Camſcoy*, oppidulum refocillan-

 dis

dis aliquantiſper viatoribus, terreſtri deinceps itinere perrectu-ris,ab Moſchis exſtructum. *Wiſera* verò continuato aliquante-nus curſu,tandem *Camo* ſe miſcer,*Viatcam*,Moſcoviæ oppidum præterfluenti,& immenſo flumini *Rha*, quod & *Volgâ* dicitur, illabenti. qui quidem *Volga* 70 oſtijs exoneratur in *Mare Caſpium*,ut ex ijs accepi,qui coram id arbitrati ſunt.

Oppidum *Soil Camſcoij* mediocriter habitatum eſt, & pagis compluribus cinctum. Incolæ Ruſſi ferè aut Tartari. Pecoris, & præſertim equorum hic magna copia. Viatores itaque paululum recreati,ſarcinas ſuas equis imponunt, & per montes ferè contendunt, abietibus, pinis, & raris quibuſdam arboribus conſitos. Trajiciunt verò inter hos ipſos montes flumē *Soibam*: hinc *Coſnam*,utrumque ad Aquilonem procurrens. Diſtribuuntur autem hi montes in partes tres, quarum duæ priores ſingulæ bidui,tertia quatridui itinere ſuperantur. Ac primæ quidem nomen eſt *Cooſvinſcoij Camen*,alteri *Cirginſcoij Cameu*, tertiæ *Podvinſcoij Camen*. Et ſunt ſanè hæc ipſa montana ab ijs unde egreſſi ſunt terris multum diverſa. Pulchriores in ijs,& arboribus denſiores ſylvæ,varias paſſim gignentes ſtirpes. Frequentantur autem hæc tria deſerta ab Tartaris ferè & Samojedis, nihil quam pretioſas pelles, Imperatori Moſchorum pendendas, in ijſdem venantibus. Montes *Podvinſcoij Camen* cæteris altiores,ac nivibus paſſim & nubibus cooperti, ideoque viatoribus ſuperatu difficiles. Fiunt tamen paullatim declives. Hinc *Vergateriā* devenitur,in quo oppidulo ſubſiſtendum eſt, uſq; dum appetat ver,idq; ob flumen *Tæram*,quod vicinis illic locis exortum,reliquò anni tempore perquā vadoſum eſt. At verò,*Vere novo,gelidus canis cùm montibus humor liquitur,& magnis acereſcunt auctibus amnes*,ſcaphis & lembis trajicitur.

Vergateria primum eſt Terræ *Siberiæ* oppidum, ac non niſi ante annos viginti & unum , unà cum alijs aliquot oppidis cœptum condi. Eſt autem & tectis mediocriter frequens, & coluntur hic agri,non ſecus quam in Moſcovia. Reſidet hic,

Impe-

Imperatoris Moſcoviæ nomine, Gubernator, qui magnā quotannis, initio ſtatim veris, frugum & annonæ copiam, in omnes præſidio militari munitas per univerſam *Siberiam* arces, fluminum via, diſtribuit, quin & Moſchis trans *Obi* degentibus eadem ſuccurrendum eſt via. nec enim adhuc ibi colitur tellus, & Samojedæ (ut diximus) ferina ut plurimum victitant. Secundo *Toëra* quinq; dierum itinere devenitur *Iaphanim*, oppidum ante biennium ſtructum & colonis inſeſſum. Hinc rurſus feruntur ſecundo *Toëra*, & biduum ſic progreſſi, coguntur hoc flumē, ob anfractuoſos ejus meatus, ſubinde trajicere, quo videlicet faciāt viæ compendium. Habitant jam in his locis Tartari paſſim & Samojedæ, pecuaria ferè naviculariaque ſe ſuſtentantes.

Tandem relicto *Toëra*, ad ingens flumen *Tababum* deveniunt, ducentis circiter leucis *Vergateria* diſſitum: & hinc *Tinnam* porrò contendunt, oppidum populoſum, & ab ijs quos antę diximus conditum. multi verò & rhedis, hiberno tempore, duodecim ferè dierum ſpatio, *Iaphani Tinnam* perveniunt. atque hic magna pelliū pretioſarū inter Moſchos & Tartaros Samojedaſq; vigent commercia. eſtq; commodus valde hic locus ijs, quibus non niſi ſemeſtri ſpatio decretū eſt emanere. ſed multi ulteriora ſcrutātur, & longè trās *Obi* ortum & meridiē verſus cōtendunt. *Tinna* devenitur *Tobolſcā*, *Siberienſiū* Oppidorum Metropolim, in qua ipſa *Siberiæ*, ac Moſchorum in ea ſupremi Proregis ſedes. deferūtur hic annuatim ab reliquis tractus totius oppidis, tā cis quā trans Obi, tributa, quæ in unū collecta, & præſidiario milite circumſepta, in Moſcoviam porro ad Imperatorem perferuntur. ſeveriſſime quoque hic dicitur jus, & tenentur quotquot ſunt in *Samojedia Siberiaq́*; Gubernatores huic uni parere. Vigent præterea rerum è Moſcovia advectarum in hac urbe commercia, confluentibus eò è tractu auſtrali & ab extrema ferè Tartaria Tartaris, aliarūq; nationū hominibus, qui, quo longius pervagatur regionū iſtarū fama, eò frequētiores cōcurrūt. Vnde magna profectò redit ad Moſchos utilitas, qui tā placidè ſubjugarunt

garunt has gentes, ut nihil ipſis nunc metuendum ſit, adeò eas ſibi habent addictas. extructa ſunt inſuper paſſim templa & ædes ſacræ, in quibus *Græca* exercetur *religio*, quæ apud Ruſſos aliosque Septemtrionis populos in multò uſu eſt, licèt varijs ſuperſtitionibus depravata. utcumque ſit, nemo illic invitus ad fidem cogitur, ſed adhibentur a Ruſſis lenia quædam remedia, quibus homines illi perſuadeantur, ac lucri fiant.

Atque utinã crudeles illi *Hiſpani*, loco immanis ſuæ tyrannidis, tam placidis modis ſubjugaſſent *Americam*. non laborarent profectò tam gravi invidia. plus enim proficitur in his talibus lenitate & clementia, quam vi aut crudelitate, prout ipſe expertus ſum, & a Moſchis plus ſemel audivi.

Sita eſt urbs *Toboſca* ad flumen *Yrtim*, quod rapidiſſimo curſu, & ceu alter quidam *Danubius*, ab Auſtro exortum, in *Obij* aquas ſuas evolvit, videturq; ex eodem cum illo tractu profluere. ab altera parte fluvius *Tobol* eſt, unde urbi nomen. In hunc influit flumen *Taſſa*, quod ab aquilone, & certis illic ad oram montibus videtur profluere. ad hujus ripam Moſchi nuper oppidum condiderunt, *Pohemium* nomine, petitis è *Siberia* incolis habitatum, non alia quidem de cauſa, quam quod agro cingatur eximiè fertili, tum & perquam amoenis ſylvis, variarum ferarũ nutricibus, pantherarum nempe, lyncium, vulpium, ſabellorum, & materarum. Diſtat verò *Tobolſca Pohemium* duarum vel circiter hebdomadarum ad aquilonem itinere. *Yrtis* pari ferè ab *Tobolſca* ſpacio *Obi* ſeſe commiſcet. atq; ad ejus oſtium conditum fuit oppidum *Olſcoygorotum*, ſed poſteà, juſſu Gubernatoris *Siberiæ* dirutum: nulla quidem tunc addita cauſſa. quam ego tamen ſuſpicor fuiſſe nimiam frigoris vehementiam, vel quod ipſum oppidum mari eſſet vicinius, quam ipſi vellent, metuerentq; ne quid inde ſuboriretur incommodi. quocirca in quadam *Obi* fluminis inſula, 50 plus minus ſupra dirutũ illud leucis, oppidum condiderunt, cui nomen *Zergolta*.

Atq; hinc adverſo flumine navigãtes, contractioribus utuntur

tur velis, ſive quod languidum ſpirent venti, ſive ob altitudinem ripæ, adeò quidem, ut licet ampliſſimus paſſim ſit *Obi*, ſcaphas tamen in eo funibus protrahant, eodem planè quo Moſcoviæ fluvios ſuperant modo,

Ducentis ſuprà *Zergoltam* leucis *Noxinſcoiam* deveniunt, arcem tredecim ab hinc annis exſtructam, quo tempore magnus Gubernator certos è Siberia homines eò dimiſerat, terras humano generi commodas, atque oppidis exſtruendis idoneas indagaturos. Hanc igitur arcem tunc temporis condiderunt, & præſidio aliquo militum munierunt, tractu perquam amœno, ſalubri, tepido, fertili, & in quo maximus rara ſpecie beſtiarum & avium numerus. Arx ipſa ad Euronotum ſita excrevit paullatim in civitatem. Cujus incol.s fuit injunctũ ut ad ulteriora tepidioraque loca pedetentim progrederentur, & candidè ubique negotiarentur, obvios quoſque populos benignè humaniterque tractantes, quo latius tandem regnarent, ac Ruſſicum nomen diffunderent. quare gregatim eo profecti, & ad quadringentas in mediterranea leucas progreſſi, pulchros quidem, ſed deſertos invenerunt terrarum tractus. Cum verò decem abhinc annis, ducentas adverſo *Obi* leucas progreſſi, inciſſent in regionem non minus uberem quam amœnam, quæque & tepida admodum eſſet, & nullo planè laboraret incommodo, hieme nimiſquam brevi, ac propemodum nulla: ſumſere hinc occaſionem in *Siberiam* revertendi, atque hæc in Moſcoviam porrò denuntiandi. Imperabat ibi tunc temporis *Borius Godd-novius*. qui accepto tam læto nuntio, rem minime differendam cenſens, illico in mandatis dedit Gubernatori *Siberiæ*, ut quam mox curaret ibi condendam urbem. paruit Gubernator, & exſtructa ejus juſſu eſt arx una cum aliquot domibus. adeo ut luculenta nunc urbs ſit. Cui nomen impoſitum *Tooma*, eò quod intellexerint, magnam Tartarorum multitudinem

eò loci olim conſediſſe, a quibus hæc urbs ob eximiam ſitus amœnitatem id nomen acceperit. dicebantur verò hi Tartari etiam tunc habere regem, nominè *Altinum.* unde factum ut condita primum urbs multos diverſorum populorum in campis illis degentium impetus ſuſtinuerit. Nunc verò tam potens eſt, ut ſucceſſu temporis videatur, & hinc mediocre regnum aliquod ſurrecturum Cæterum inter arcem hanc, *Naxinſcoiam*, urbem *Tooman* atque Siberiam Moſchi multos quotidie detegunt in mediterraneis habitantes populos, quorum aliqui ſeſe *Oſtachios* nuncupant, ac cum Tartaris, Samojedis & Ruſſis in unum jam corpus coalüere, amicè inter ſe negotiantes. multi apud eos ſunt Reges, Indicis ferè ſimiles (de minoribus loquor, non de majoribus Indiæ regibus) Et ut paucis abſolvam, Moſchi in illo terrarum tractu tam magnos fecerunt progreſſus, ut merito nobis mirum videri debeat. Sunt præterea arces oppidaque complura inter *Obi* & *Yrtim* fluvios, eodem ferè cum *Tobolſca* tempore condita, & jam lauta. quorum incolæ Moſchi, Tartari, Samojedæ ex eorum genere quos cicures appellamus, aliorum qui prorſus barbari ſunt adſpectu, & inter oppida primum eſt *Tara*, quo loci decē ferè dierum inter *Obi* & *Yrtim* intercapedo eſt. *Iorgoëtum*, ante 15. circiter annos exſtructum. *Beſobia* & *Manganſoiſcoigoratum*, utraque ſupra *Iorgoëtum* ad auſtrum poſita. ad occidentalem verò fluminis *Obi* ripam incolæ magis magiſque in dies ſtudent progredi. Cis *Obi* ſitæ ſunt urbes *Tobolſca*, *Siberia*, *Bereſaia*, & quædam aliæ; ad diverſos fluvios conditæ. & exſtruuntur in dies plures. trans *Obi* ſunt *Narim*, *Toma* & quædam aliæ, quorum incolæ vicem equorum utuntur rangiferis, vel & canibus longè celerrimis, quos cum alio piſcium genere tum rajis in primis ſaginant, quod exiſtiment eo cibo vires ijs augeri. *Iorgoëtum*, ut ſupra dixi, in inſula fluminis *Obi* exſtructum eſt. Iam verò & ſuprà *Narim* ortum verſus tendentibus flumen occurit *Telta*, ad cujus ripam arcem ædificarunt nomine Comgoſſcojam. cujus præſidiarij milites unà

cum

cum Narimenſibus, annis abhinc circiter ſeptem, ab Gubernatore Siberiæ juſſi ſunt rectà ad Ortum tendere, & ecquæ illic agerent ignotæ gentes ſedulò indagare. Itaque decem vel circa hebdomadarum itinere per vaſta quædã deſerta progreſſi, multis perviam pulchris tractibus, multis ſylvis, atque fluminibus occurrentibus, tandem magalia quædam in campis erecta, & unà hominum quoſdam cœtus conſpicati ſunt. ſed cum ducibus uterentur Samojedis ac Tartaris, locorum illorum gnaris, nihil timuerunt. Acceſſerunt ad eos barbari reverenter ac venerabundi, & per Samojedas Tartaroſque ſignificarunt, *Tingoëſios* ſeſe vocari, & ſecus magni fluminis *Ieniſceæ* ripam colere, quem ab Vulturno quidem adfirmabant profluere, ſed ignorare ſe ejus fontem. hi homines ſtrumis a mento propendentibus erant deformes, & inter loquendum non aliter glociebant quã gallopavi. Videbatur eorum lingua non multum abire ab idiomate Samojedarum, qui & pleraſque eorum voces ediſſerebant.

Ieniſcęa, fluvius longè quam *Obi* major, ab Ortu habet excelſos mõtes, inter quos & ignivomos quoſdam, ſulphur identidem ejicientes. ab occaſu planum eſt ſolum & inſigniter fertile, ſtirpibus, floſculis & arboribus varij generis conſitum. multi quoque in eo peregrini gignuntur fructus, magna avium rariorum copia. inundat campos ad 70. circiter leucas verno tempore *Ieniſcæa*, non ſecus, ut quidem nobis relatum eſt, quam *Nilus Ægyptum*, quod non ignorantes Tingoëſij, trans ipſum flumen & in montanis tantiſper agunt, dum id decreſcat, redeuntes deinde, & armenta ſua reducentes ad plana.

Tingoëſij, gens mire humana, Samojedarum inſtinctu, ſubjecere ſe illico hiſdem a quibus illi regebantur Gubernatoribus, quos reverebantur ceu quoſdam Deos. quod autem numen, & quo ritu id colant, incertum eſt, neque ſciri hactenus potuit, Moſchis negligenter nimis in hæc talia inquirentibus.

Neque miror deinceps, ſi Fretum *Waygats* obſtruatur quo-

tannis ad Aquilonem tam immenſis è glacie montibus, cum & *Obi* & Ieniſcæa,& innumeri præter hos,quorum nomina necdum ſciuntur,fluvij tam immanem ejus effundant vim, ut omnem pæne fidem exſuperet. fit enim initio ſtatim veris, ut in locis mari vicinis,glacies, præ incredibili ſua craſſitudine ſimul & multitudine,totas ſecum auferat ſylvas. atque hinc adeò eſt quod ad littora Freti *Weygats* tanta páſſim conſpiciatur lignorum undique confluentium copia. cumque in illo ad Novam Zemlam freto extrema rigeant frigora, nihil mirum, ſi præ ipſa freti anguſtia tam immanes coacerventur & coaleſcant glaciei moles, ut in 60, vel minimum 50 paſſuum craſſitudinem tandem excreſcant,ut hoc ipſo ann. dimenſi ſunt ij, qui faciente *Iſaaco Lemerio*, minori navigio illuc profecti ſunt, quibus idem ille *Lemerius* me tentavit adjungere comitem, verum nequicquam,paratus namque ſum demonſtrare iter illud non eſſe pervium,& ſemper luſuros operam quotquot unquam id tentaturi ſunt,niſi alia via rem aggrediantur. ſed redeamus ad inſtitutum.

Suſcepere præterea ij,quos dixi,longinquum iter trans *Ieniſcæam*,ſed nempe recta ad ortum via , & ad auſtrum vix auſi deflectere,aſſumtis ſecum aliquot Tingoëſijs, de quibus didicerant habitare complures ad auſtrum gentes, quæ ab ipſis eſſent multum diverſæ,& quorum reges perpetua ferè inter ſe gererent bella, ſed cum aliquot dies progreſſi nil profeciſſent, tandem ad ſuos reverſi ſunt. Tingoëſijs tamen prius injuncto, ut penitius tractus illos luſtrarent,qui receperunt id ſe facturos,& fœdus jam ante cum Moſchis pactum redintegrarunt. diſcedentes Moſchi reliquerũt in illis oris nonnullos è ſuis,tum & fœderatos aliquot Samojedas ac Tartaros, diſtributis in barbaros donariolis. Anno inſecuto Tingoëſij emiſere nonnullos ſuorum directè ad Orientem. qui longius aliquanto quam ante progreſſi tandem & alium quendam invenerunt ingentem

fluvi-

fluvium, Jeniſcæa quidem minorem, ſed pari rapiditate, cujus curſum aliquot dies ſecuti inciderunt in quoſdam homines, quos curſu antevertentes apprehenderunt, ſed eorum ſermonem non aſſequebantur, niſi quod è certis quibuſdam ſignis & vocibus barbarorum *Om Om* ſubinde ingeminantium, conjecerunt ab altera fluvij parte crebra audiri tonitrua. addebant & hominum ſtrepitus inibi ſæpius exaudiri, & intenſo in flumen digito, *Piſida* aliquoties repetebant, unde collegerunt *Tingoëſij* id fluvio nomen eſſe. vocibus verò *OmOm* divinarunt poſteà Moſchi deſignari bombos nolarum. Redeuntes dehinc *Tingoëſij*, aſſumſere ſecum nonnullos tractus iſtius incolas, qui perierunt omnes in via, ſive pavore quodam id factum ſit, ſive äeris inſolentia. Ipſi ſanè Tingoëſij mortem eorum moleſtè ferebant, reverſi namque adferebant homines eſſe ingenioſos, corpore bene compacto, oculis parvis, facie plana, colore fuſco, & ad luteum ferè vergente.

Hæc cum didiciſſent è Samojedis, ex tractu Tingoëſiorum in Siberiam redeuntibus Moſchi, magna ſtatim cupiditate correpti ſunt ulteriora ejus tractus inveſtigandi. quare petierunt a Prorege, ſe, comitibus aliquot junctis, eò dimitti. is verò petitioni confeſtim annuit, conceſſa ipſis & militum aliqua manu, injunctoque ut curioſè ſingula quæque explorarent, & *Tingoëſios, Samojedas* ac *Tartaros* ſecum aſſumerent. Atque ita illi 700. vel circiter numero trajecerunt fluvium *Obi*, & per *Samojedarum* ac *Tingoëſiorum* terras devenerunt ad *Jeniſcæam*. quo trajecto, perrexerunt porro ad Ortum, ducibus uſi *Tingoëſijs*, qui non tantum anteambulonum obibant munus, ſed de commeatu quoque omnibus abunde proſpiciebant, captis mira quadam dexteritate avibus, capris, rangiferis, alijſque id genus feris, quin & piſcium non exigua, è fluvijs per viam occurrentibus, copia. progreſſi ad flumen Piſidam, fixere ad ejus ripam tentoria, animo ſubſiſtendi, dum id fieret pervium, glacie brevi ſolvenda, cum jam appeteret

 ver,

ver, quo tempore eò devenirent. Nec trajicere tamen Piſidam auſi ſunt, ſonitu, de quo ante acceperant, jam palam audito, quē certò judicabant, non aliud eſſe quam æris campani mugitum. flante verò ab ulteriore Piſidæ ripa vento, exaudiebant & hominum & equorum interdum ſtrepitus. vela quoque nonnulla, ſed paucula, conſpicati ſunt, unde conjecerunt eſſe navigia quæ ſecundo flumine deorſum tenderent. addebant, vela fuiſſe quadrata, Indicis ut arbitramur ſimilia. Sed nullis planè ab ea ubi conſtiterant parte uſquam conſpectis hominibus, cum aliquamdiu illic hæſiſſent, & verno tempore comperiſſent, flumē valde augeri (quod tamen vix poteſt ut ex certo narraverint, cum præalta utrimque ſit ripa) tandem longis admodum itineribus, ac non niſi autumno reverſi ſunt, referentes, & quidem jurati, ſeſe Aprili ac Majo menſibus admodum delectatos fuiſſe pulcherrimo tractus illius adſpectu, & complures in eo vidiſſe rariores ſtirpes, flores, fructus, arbores, aves, feras. ſedenim Moſchi talium minime curioſi, ut qui nihil captent quam lucrum, cætera prorſus inculti.

Hiſce ad aulam Moſchorum perlatis, *Borius* Imperator, & quos ſecum habebat Proceres multum mirati, & magno ſingulorum exactè inquirendorum deſiderio inflammati, ſtatuerunt in annum ſequentem eò mittendos Legatos, munera ſecum laturos, & Tartaros, Samojedas atque Tingoeſſios comites aſſumturos. His injunctum ut ulteriorem Piſidæ ripam luſtrarent, & cum Regibus ſi quos invenirent, conrraherunt amicitiam, tum & annotarent quæcunque perviam obſervaſſent, & quam accuratiſſimè renuntiarent. neque mirari ſatis poterant Moſchi auditos nolarum ſtrepitus. ſed caruerunt hæc ſuo effectu, ob exortos interea apud Moſchos bellorum civilium motus. ut ex belli ipſius deſcriptione fuſius licet videre.

Crediderim ego initia illic & fines eſſe regni *Cathaiæ, Chinæ*, Indiæque contermini. vereor tamen Moſchos inanem ſumturos operam, ſi umquam eò redierint. ſed docebit hæc tempus.

Facta

Facta nihilominus iuſſu Gubernatorum, etiam bello durante, in illos tractus eſt expeditio, multis è Siberia civibus in eam profectis, qui trajecto Ieniſcæa, pedibus ad ulteriora progreſſi ſunt, plærisque vitæ commodiori aſſuetis præ itineris incommoditate in via defunctis. invenerunt autem & hi pleraque ſuperiorum narrationi conformia, exaudientes ſubinde & ipſi æris campani mugitus. ſed diſſuadentibus Tingoëſijs non ſuſtinuerunt flumen ipſum trajicere, ſed hæſerunt aliquamdiu in montibus, unde & emicare crebras viderunt flammas, & ſulphuris aliquantum, tum & Lydij lapidis reportarunt, ſic ut inibi videantur divites quædam eſſe fodinæ.

Iuſſit inſuper Gubernator Siberiæ parari coopertas aliquot ſcaphas, easque primo ſtatim vere ſecundo Obi ad oram decurrere, eamque tantiſper legere dum pervenirēt ad Ieniſcæam, in quo deinde aliquot dies navigarent, mari (ut quidem ipſe rebatur) ſe commiſcenti. Contra verò miſit & qui terreſtri itinere eò contenderent, juſſo prius utriſque, his quidem ut tantiſper ad fluminis ejus ripam præſtolarentur, dum appellerēt ſcaphæ, quæ niſi appellerent, tum poſt annum ipſi revertrentur: illis verò, quibus *Lucam* quemdam dedit præfectum, ut oram, & quidquid in ea notatu dignum, accuratè luſtrarent, Luca ſingula quæque diligenter annotaturo. factum quod juſſum, & appulſi ad oſtium fluminis nautæ inciderunt in quoſdam eorum qui terra erant profecti, ſcaphis ratibusque ſecundo Ieniſcæa præmiſſos. in itinere verò invenerunt ita ſeſe fermè habere rem pro ut divinaverat Gubernator. ſed mortuo interim Luca, & aliquot alijs, conſultius rati ſunt, ſi facta diſceſſione, utrique reverterentur eadem qua venerāt via, & in Siberiam reduces Gubernatori narrarunt omnem itineris ſui ſucceſſum, qui deferēdum eundem porrò commiſit ad Imperatorem, & adſervatur hæc ipſa narratio in theſauris Moſcoviæ, donec videlicet aſſopiantur hæc bella, tunc ut putatur examinanda. ſed veremur, ne jam perierit. quod ſi factum, profecto dolendum eſt, tam raris,

tamque

tamque diverſis ab ijs inventis Inſulis, fluvijs, avibus, feris, & quidem longè trans Ieniſceam.

Habebam id tēporis in Moſcovia quemdam amicum, cujus frater expeditioni huic interfuerat. is tabulam quandam cæcam, ex fratris jam mortui ore exceptam, & a ſe delineatam nobis tradidit: navigerat ipſe per Fretum V Veygats, eratque omnium uſque ad *Obi* locorum gnarus, ſed quæ trans illud flumen ſunt, ea tantum habuit ex auditu. eſt ergo hæc ipſa quam damus tabella rudis duntaxat illius oræ delineatio, quam ipſam tamen non ſine magna moleſtia nactus ſum, & ſi res fieret palam, actum eſſet de Moſchi illius vita, cujus nomen idcirco nō prodimus.

Influit præter hæc in fluvium *Obi* flumen *Toas*, profluens ut videtur ex locis Ieniſceæ vicinis, & vaſta quadam in ijs ſylva; ex qua & alius, non procul ab illo priore, videtur oriri fluvius, Ianiſceæ itidem ſeſe commiſcens. adeò ut inde ab *Obi*, aqua proficiſcantur per terram Samojedarum, & duabus duntaxat terra confectis leucis, incurrunt in flumen Torgalf, quo ſecundo deferuntur in Ieniſcæam, eſtque commoda ſanè hæc via, & a Samojedis atque Tingoëſijs non ita pridem inventa.

Dolendum veró, quod non ſuccedat Hollandis ut ſuperent Fretum *VVeygats*. ſed nimirum ipſi ignorant quanam id aggredi debeant via. nam navibus quidem, vel centies ſi tentarint, vix ſemel ſuccedet, quod ſi omninó inveſtigare vellent has terras, tum biennio vel triennio circa *VVeygats* & Petſoram ipſis hærendum ſit, ubi nec portus defuturi, nec commeatus: inde verò ſcaphis emittēdi qui ulteriora ſcrutarentur, ipſorum adeo Ruſſorum exemplo, quos ſi amicos ſibi adjungerent, facile invenirent viarum duces: & ſic tandem hæc omnia detegerentur.

Invenirentur hauddubie pulchri tractus, & non Inſulæ tantum, ſed & continens. Dubitari tamen non immerito poteſt, an America circa Chinam non cohæreat cum aliqua trium veteris mundi partium, velut Africam Aſiæ iſthmo quodam ad ſinum

num Arabicum videmus conjungi. & ſanè videtur hoc veriſimile.quis enim eſt qui adfirmet diſjungi? niſi quod in gentilium ſcriptis quædam invenerint quibus id adſtruatur,multaque inde proferant argumenta.

Quod ſi maxime non cohæreant iſtæ quas dixi partes, tunc anguſto admodum freto oportet disjunctæ ſint. nam parum abeſt quin aſſeram fieri planè non poſſe, ut creato in Aſia Adamo,homines in Americam umquam pervenerint, cum nuſquam legatur in Scripturis ante diluvium fuiſſe ulla navigia, & ſatis conſtet non eſſe plures quam unum mundum,nec aliunde originem habuiſſe creaturas quam ex paradiſo.

Quæret fortè aliquis,qui ergo potuerit fieri ut in Inſulas primum homines tranſfretaverint. Reſpondeo, id videri factum poſt diluvium. & in America notum eſt eſſe fretum, quale & inter ipſam Aſiamque fieri poteſt ut intercedat. quamquam multi fortiter adſtruant intercedere inter eas vaſtum pelagus, quod plus centum leucis in longitudinem pateat.

FINIS.

04785

F612
G378d
c.2